

20.733

te

En la Univ.ª a las 4 y media de la tarde  
el día 13 de Junio de 1772.

Juan Ramon de Suñer *ff. 2*

Archivo Histórico  
Orihuela

Handwritten text, possibly a date or address, in brown ink, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten signature or name in brown ink, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

A faint, rectangular stamp or mark in blue ink, possibly a library or archival stamp, located in the lower right quadrant of the page.

CONCERTATIO PUBLICA  
SELECTAS  
LOCORUM THEOLOGICOR.  
HISTORIAE ECCLESIASTICAE,  
RELIGIONIS DOGM. ET SCHOLASTICO-THOMISTICAE  
THEOLOGIAE POSITIONES  
COMPLECTENS.

HABENDA  
IN PETITIONE THEOLOGICAE LAUREAE  
A. D. FERDINANDO SORIANO,  
ET RODRIGUEZ,

in Orcelenſi Collegio-Seminario Immaculatae Deiparae  
Sac. Theolog. candidato, atque Illmi. eiufdem Civitatis,  
Seminarique Praefulis Ephebo Honorario.

PRAESIDE  
D. D. PETRO LESPIAULT,  
ET RIMBAUD,

*Presbitero, in eodem Seminario Philosophiae aliquando  
modo Sac. Theologiae Professore, & Insignis Alonensis  
Eccles. Collegiatae Curione Praebendato, cet. cet.*

PALAEſTRA FLORENT. ACADEMIA ORCELENSIS  
Die 13- Mensis Iunii Anni MDCCLXXII.



Valentiae: In Officina Benedicti Monfort, ann. 1772.

R. 20.733

CONFIDENTIAL

SECRET

TECHNOLOGY

THREATS

U.S. DEPARTMENT OF THE ARMY  
INSTITUTION

AT FORT MONMOUTH

The following information is being furnished to you for your information only. It is not to be distributed outside your organization.

ALL INFORMATION CONTAINED  
HEREIN IS UNCLASSIFIED


DATE 11/15/2011 BY 60322

This document is a copy of a document prepared for the use of the Army and is not to be distributed outside your organization.

ARMY UNIVERSITY OF THE ARMY  
3150-10-00-01

The following information is being furnished to you for your information only. It is not to be distributed outside your organization.





*Agenda*

# CLARISSIMO

AC EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. RODERICO ANTONIO

DE MENDOZA, CAAMAÑO, MONROY,

IBAÑEZ DE SEGOBIA, RONQUILLO,

ET GIMENEZ DEL CASTILLO,

MARCHIONI DE VILLAGARCIA,

Monroy & de Cufana, Comiti de Barrantes,

Domino de Vista-alegre, Ruvianes, Lamas,

& Quebradas, Oppidorum etiam Villanafur,

Fuentes & Baldefaz, Hispaniae Viro

Principi, &c. &c. &c.

OPTIMO, ATQUE MUNIFICENTISSIMO PATRONO.

FERDINANDUS SORIANO.



Antus est virtutis splendor,  
tantumque apud gratum  
animum beneficii collati  
memoria valet, ut & illos  
in quibus virtutis lumen conspiciamus ob-

fervemus quam maxime , & eos à quibus  
benevolentiae humanitatisque significatio  
aliqua ad nos usque profecta fuit , honore  
aliquo prosequi studeamus. Itaque mirari  
minime debes, *CLARISSIME PRINCEPS*,  
si in primo Thesium mearum Theologica-  
rum aditu *TE* unum Maecenatem optave-  
rim, *TUO*que potissimum acquieverim pa-  
trocinio. Quis enim est , qui *TE* vel semel  
tantum allocutus non statim generis splen-  
dorem virtutumque lumina in *TE* non  
suspiciat & admiretur? Nemo erit sane qui  
non videat *TE* omnes illas quarum haud  
obscurum specimen praebuisti , virtutes à  
maioribus cum generis antiquitate acceptas  
longe , lateque provexisse. Vivet sane in  
nepote suo veterum virorum memoria,  
qui à praeclarissimo genere de Mendoza  
profecti , tantam sibi gloriam pepererunt;

ut



ut non pauci viri Hispaniae principes, quorum factis patria semper nobilitata est, magnae sibi gloriae vindicent à tam praecleara stirpe proficisci. Nihil hic opus existimo omnium eorum qui ex *TUA* gente qua pietate, qua litteris, qua armis vel in Ecclesia Purpura insigniti, vel togati in pace, vel armati in bello floruerunt, laudes adamussim congerere, & ex aliorum virtute praecipuam *TIBI* laudem contexere. Adest *TIBI* praesidio ingens animi omniumque virtutum splendor, unde vera neque adscita *TIBI* gloria petenda sit. Duo tamen fulgentissima generis *TUI* sidera, qui caeteris eiusdem gentis palmam praeripere visi sunt, silentio praeterire nequeo. Quorum alter, Marchio de Santillana, ad decorem splendoris sui ita nuncupatus, tantam sibi gloriam litterarum doctrina earumque pa-

tro-

patrocinio adferuit, ut aetatis suae Scriptores  
ut virum ornatissimum scientiarumque fau-  
torem ac Maecenatem scriptis suis memo-  
riae commendaverint. Alter vero qui nu-  
per sub faustissimo Rege FERDINANDO  
VI. insignem Patriarchatus honorem obti-  
nuit Em. D. Alvarus de Mendoza vel ma-  
xime clarus exstitit sua adversus inopes be-  
neficientia : ut prudentissimo Regi nullo  
alio uti visum fuerit ad liberalitatem suam  
munificentia vere regia in pauperes exer-  
cendam. Quorum utriusque imaginem sic  
*TU CLARISSIME PRINCEPS, TUIS* sua-  
vissimis moribus expressisti, ut nemini pro-  
fecto dubium esse debeat *TE* ad optima-  
rum artium patrocinium natum esse, & ad  
divinam beneficentiae largitatem. Id quod  
non obscure mihi sane perspectum est, cum  
inter caeteros domesticos, *TIBI* beneficiis  
de-

devinctos, studium, & operam *TIBI* meam  
navare auspicato mihi contigit. Hic ego  
illum tuum eximium optimarum artium  
amorem cum singulari ad beneficentiam  
impetu, summamque illam qua unosquof-  
que complecteris humanitatem saepissime  
expertus sum. Cumque imprimis erga om-  
nes, qui de tuis rebus vel minimum mere-  
bantur, gratissimum animum probaveris:  
ego vero minime gloriari vereor per saepe  
à *TE* eiusmodi suavissimis benevolentiae  
significationibus vel ornatum vel cumula-  
tum fuisse. Quapropter nihil mihi antiquius,  
nihil dulcius esse potest, quam ut aliquod  
mei erga *TE* grati animi testimonium ad  
memoriam posteritatis descendat; huncque  
laborem meum non tam consecrare & of-  
ferre, quam pedibus tuis humili ac demis-  
so vultu substernere; fatis gnarus exile ac  
per-

perexiguum hoc esse pro tuis erga me be-  
neficiis monumentum. Suscipe ergo qua-  
lecumque hoc sit, meque ut fecisti meaque  
vota, quae ardentissime pro incolumitate  
*TUA* ad Deum persolvo amantissime com-  
plectere.

**DE**



*DE NATURA,  
OBIECTO, ET PRAESTANTIA  
THEOLOGIAE.*



Theologia graecum nomen est, vetus, ac nobilissimum, quo latinè Sermonem de Deo significari, facilè constat inter omnes. Nos vero pressius accepto tam latè patenti nomine Disciplinam illam insignimus de Deo, rebusque Divinis, vel ex naturali lumine cognitis, vel ex revelatis principiis differentem. Mirari hinc licet eximiam artis dignitatem, cuius scopus Deus est, mens videlicet aeterna, omni ornamentorum genere instructissima, nullisque circumscripta terminis, cuius virtus & splendor aciem praestringit mentium humanarum, quibus ad eam tantisper intentis, caligant omnia, atra nube, densisque tenebris obducta. Deus inquam scopus est, isque sublimiora, & abditiora arcana mortalibus pandens, queis quid non solum praestantius, sed pulchrius, sed utilius? Illa Religionis est parens, & altrix. Illa praecepta continet sapientiae, cum ad aeternam felicitatem collimantia, tum ad erudiendos mortalium animos scientia boni, & mali, honesti, & turpis, iusti, & iniusti. Illa tandem optimo iure est caeterarum artium facilè princeps. Verum congestas laudes non illi sordidae Theologiae importunissimis implicatae litibus, fuce deformi, fallacisque tribuendas puto, quam è caenosis lacunis otiosi scholae Auctores ebiberunt, sed quae ex limpidissimis fontibus,

A

pro-

protinus indicandis, hausta sit. Huius studium mira voluptate & Veteres pellexit, quos inter excelluit D. Thomas, ad quem tanquam ad certissimam cynosuram in hoc mare praeternavigando figemus obtutum, & Iuniores plurimos, ex quorum scriptis Theses compilavimus, quas simplici, perspicuoque stilo exaratas, publicae concertationis aleae, fortunante Deo vota nostra, committimus. Age vero opus urgeamus.



## DE LOCIS THEOLOGICIS.

**L**oci Theologici sunt sedes, & veluti promptuaria quaedam, unde Theologi sua argumenta depromunt, Rhetorum instar, & Philosophorum, qui suos locos communes habent, ex quibus omnis eorum argumentatio repetitur. Hinc nihil utilius tradi potest, quam cognoscere, quisnam locus argumenta firma, quis contra infirma suppeditet. Decem potissimum numerari solent, nimirum: Sacra Scriptura, Traditiones, Ecclesia Catholica, Concilia, Romana Ecclesia, Sancti Patres, Scholae Theologi, ac Iuris Pontificii Consulti, Naturalis Ratio, Philosophia, Iusque Caesareum, Historia denique fidedigna. Quae ex septem prioribus Locis ducuntur argumenta, propria ferè sunt ea huiusce facultatis; quae vero ex tribus posterioribus, adscriptitia, ac velut ex alieno emendicata.

### DE SCRIPTURA SACRA.

**I.** **A**C primus quidem locus sine controversia firmus est, divina, eademque gravissima auctoritate. Nam Spiritus Sanctus est, qui Sacris Scriptoribus non sensum solum, verborumque sententias, sed verba ipsa inspiravit, atque dictavit.

**II.** Sacrarum Litterarum Auctor Deus, ne maximas quidem exerens omnipotentiae suae vires, mentiri per se, vel  
per

3

per administrum potest. Disputet audaciae, temeritatisque haereticorum, qui plurima Scripturarum loca, in quibus divina veritas secum ipsa pugnare videtur, nobis haec uti pura, putaque illius mendacia obtrudunt. At illorum error iam dudum à Viris in Sacris Litteris exercitatissimis abundè refutatus est. Nos vero quibus nondum per tempus licuit esse tam beatis, etsi persuasum firmiter habeamus, à quibuslibet Sacrarum Litterarum locis omne omnino mendacium abesse procul, nihil est cur vereamur, fateri palam, haud collocasse in eo argumento studii tantum, atque operae, quantum gravissimae huic rei pro dignitate extricandae necessarium est. Iccirco qualemqualem à nobis in re hac locatam operam ostendere prestò sumus, in iis tantum conciliandis Sacrarum Litterarum antilogiis, quas Theologi Scholae Nobilissimi Melchior Canus in Lib. II. de Locis Theol. Cap. II. & XVI. & Carolus Billuartus Tract. de Relig. Diff. IX. Art. II. expendunt, atque ad concordiam prosperè adducunt.

III. Iudicium de Scripturis per Scripturas ipsas nullo pacto idoneum esse potest.

IV. Ad privatos Reipublicae Christianae Cives non pertinet de his ferre iudicium. Hanc auctoritatem sibi vindicant Ecclesia, Universalis Synodus, ac Pontifex Maximus.

V. Latent plures sensus in Sacris Scripturis, Litteralis nimirum, Allegoricus, Moralis seu Tropologicus, & Anagogicus. Theologus ex Litterali semper firmum deducet argumentum; quandoque ex metaphorico, ac mystico, nunquam verò ex accommodatio.

VI. Vetus Vulgata Scripturae editio, quam post tempora D. Hieronymi Latina Ecclesia usurpavit, in iis omnibus, quae ad fidem & mores spectant, fidelibus est retinenda.

VII. Si qua morum & fidei quaestio inter Catholicos exoriatur, eam definire oportet per Latinam hanc veterem editionem: cuius videlicet si aliquod testimonium alteram quaestionis partem confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda; sin contrà reprobaverit, reiicienda.

VIII. In fidei ac morum disputatione non est nunc tem.

poris ad Hebraica, Graecave exemplaria provocandum, neque ex his certa controversiarum fides est facienda.

IX. In his quae ad fidem & mores pertinent, non sunt Latina exemplaria per Hebraica, & Graeca corrigenda.

X. Textus Hebraicus, & Graecus prout modo extant, corruptiores sunt, quam ut illis certam, atque irrefragabilem auctoritatem tribuamus. Plura tamen commoda afferre valent, quae rogatus adperiam.

XI. Legere Scripturam Sacram vernaculè editam, res est planè adiaphora, unde in se spectata neque mala, neque penitè ab Ecclesia interdicta est.

XII. Ecclesia verò gravissimis ducta causis, lectionem illam vetare saepè potest; id quod prudenter ab ea factum arbitror, atque statuo, lata ea lege obstringi privatos quoque Ecclesiae fideles. Neque est cur in hac re moremur stultas, atque irritas in prudentissima Ecclesiae iussa Novatorum querelas.

### DE TRADITIONIBUS.

I. **H**Aeretici penè omnes post Valentinum, & Marcionem eo in errore fuerunt, ut respuerent Apostolicas Traditiones. Praecipui recensentur Arius, Eunomius, Eutyches, & Wicleffus. Sed Lutherani tanquam sibi proprium usurparunt, quantaque maxima potuere vi, adstruere nisi sunt, nihil praeter Scripturas Sacras Apostolicam habere auctoritatem. Adversus quos loci huius auctoritatem vindicaturi, gravissima fundamenta iacere constituimus, quibus illius firmitas superstruatur.

II. Primum: Ecclesiam esse antiquiorem Scriptura, fidemque proinde, ac religionem sine Scriptura constare. Secundum: Non omnia, quae ad doctrinam christianam pertinent, esse etiamnum in Sacris Litteris expressa. Tertium: Multa pertinere ad christianorum doctrinam, & fidem, quae nec apertè, nec obscurè in Sacris Litteris continentur. Quartum: Apostolos maximis de causis alia quidem litteris, alia autem viva voce prodidisse.

III. Non desunt Regulae certissimae, quibus Apostolicas

cas



cas Traditiones investigare, valeamus. Eccillas. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: Quod Patres ab initio secundum suorum temporum successione concordissimè tenuerunt, contrario ut haeretico refutato: Quidquid in Ecclesia communi fidelium consensione probatur, quod tamen humana potestas efficere non potuit: Quod viri ecclesiastici uno ore testantur nos ab Apostolis accepisse; ex Apostolica Traditione necessario derivatum est.

IV. Ex Christi, & Apostolorum Traditionibus, quae verae in Ecclesia extant, firmissima possunt argumenta elici, & ad Ecclesiae consuetudinem, & ad fidei dogmata comprobanda.

V. Traditiones divinas nequit Ecclesiae auctoritas commutare. Ex merè Apostolicis, & Ecclesiasticis, reperies, periisse non paucas.

## *DE ECCLESIA CATHOLICA.*

I. **E**st autem Ecclesia pulcherrima illa Christi sponsa, in saeculi usque consummationem duratura, fremant licèt inferni portae. Eam cum Cypriano dicam non ipsam modò Catholicorum concionem, quae per Baptismum Christo peculiaris Respublica consecrata est, verùm & ipsos praecipuè Ecclesiasticos Praefectos, in quibus, caput erigente Pontifice Summo, huiusce Reipublicae auctoritas potissimum residet.

II. Huius ductum qui sequitur, in iis quae fidem, moreve spectant, incedit tutissimus: falli siquidem, aut fallere nescia est Ecclesia, cui Dominus perpetuò adest, quamque spiritu suo regit.

III. Nec splendidum adeò privilegium ad Apostolorum Ecclesiam, atque tempora unicè referendum est; sed pari iure ad eam, quae nos hodie in sinu gestat, & fovet amplissimam parentem, cui quotidie pro Patribus nascuntur filii.

IV. Illustratur Ecclesia certis, statisque caracteribus, qui, ut ex maioribus nostris didicimus, eiusmodi sunt, quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. His cum careant

Ec-

Ecclesiae omnes à Catholica alienae, puta, Schismatica Graecorum, & Haeretica Reformatorum, vanae illae sunt, ac spuriae.

V. Una sit oportet vera Ecclesia tùm fide, qua omnes omniumque aetatum singuli eisdem assentiantur mysteriis, tùm obedientia, qua omnes eidem capiti adhaereant, ac in unum, tanquam in corpus membra, coalescant.

VI. Sanctitate sua etiam pulcherrima sese nobis offert Ecclesia sine macula, sine ruga; sive Christi Sanctissimi illius Capitis ratio habeatur, sive eiusdem doctrinae, ac morum puritas spectetur.

VII. Errant tamen turpiter ii, qui hanc Ecclesiae perfectionem ita ad singula eius membra traducunt, ut cum Pelagianis contendant, eam esse congregationem hominum dumtaxat perfectorum, aut iustorum coetum in enormia crimina nunquam lapsorum, ut placuit Novatianis, à quorum somniis non longè abludunt Donatistae, illam ex solis probis constituentes. Qua in re delusi etiam sunt Wicleffus, Lutherus, & Calvinus, temerè pronuntiantes, Ecclesiam Christi universitatem esse, ex solis Praedestinati conflata, & institutam.

VIII. Profectò hisce perspicuis Ecclesiae Christianae caracteribus, ac velut lineamentis, vultus ipsius perspectus ita, & illustris nobis est, ut montis adinstar omnibus visibilis adpareat, omniumque oculis sese praeferat conspiciendam.

IX. Quarè neque extincta unquam fuit, neque extingui poterit, quidquid post Donatistas clamitent Reformati, quorum in Ecclesiam impetus inaniore, imbecillioresque sunt, quam ut illius claritatem valeant obscurare.

X. Iam verò eiusmodi notae, ad unam omnes, soli ei Ecclesiae insunt, quam nos iure Catholicam & Romanam adpellamus, quaeque proinde, cum alioqui etiam continua Pastorum serie ab Apostolis ad haec usque tempora sanctissimis etiam viris, ac miraculorum frequentia clarissimè fulgeat, illa unicè vera Christi Ecclesia habenda est, extra quam salus frustra omnino quaereretur.

.XI Ed Ecclesiae iudicium tanquam ad certam amussim

re-

7

revelata dogmata exigenda veniunt. Namque spiritum haereticorum privatum uti perpetuum iurgiorum, litium, haeresumque seminarium procul abigimus.

XII. Illius iudicium adeò solidum est, ac decretorium, ut nullus dubitationis locus relinquatur; adeò etiam publicae rei Christianorum necessarium; ut sine ipso controversiae Religionis forent sempiternae. Iccirco ab auctoritate Ecclesiae Catholicae firmissimum Theologus hauriet ratiocinium.

XIII. Non auctoritate solum Ecclesiae veteris, sed etiam quae nunc est, imò Pastorum, Ecclesiaeque Principum inniti Theologus poterit ad res fidei, morumque constanter stabiliendas.

XIV. Certissimum, fallique nescium deprehenditur Ecclesiae iudicium circa *Faëta Dogmatica*, quo semel lato actum & conclamatum est de Iansenistarum, & Quesnellianorum rixis. Horum in suis opinionibus tuendis pervicaciam sapienter, providèque fregit Clemens XI. Pont. Max. celebri Constitutione *Unigenitus*, quam ita communi Ecclesiarum calculo probatam intelligo, ut nefas putem, ab illa ad futurum Generale Concilium provocare.

## DE CONCILIIS.

I. **C**oncilii nomine conventus intelligitur Praelatorum Ecclesiae, sub legitimo Capite, ad controversias fidei dirimendas, condendasque leges componendis fidelium moribus opportunas. At Lutherus & pseudo-critici Concilium volunt esse congregationem non Episcoporum, non Sacerdotum, sed Rhetorum, Grammaticorum: *Gens* (ut ait Thomas Creech auctor haereticarum partium) *clamosa, immitis, acerba, irritabilis, perpetuum inter eos odium, contumeliae, convitia, ut imperiti rudesque tragici, cum humile aliquid & miserabile dicant, vocem intendunt, & minantur magna*. Scilicet his regitur Ecclesia Lutherana.

II. Ad Romanum Pontificem praecipuo iure attinet Concilia Generalia convocare, eisdemque praesse sive per se, sive per Legatos.

Soli

III. Soli Episcopi ex iure vocandi sunt ad Concilium generale.

IV. Concilium Universale coactum Romani Pontificis auctoritate, non confirmatum, errare in fide potest. Si verò illius confirmatio accesserit, certam fidem facit catholicorum dogmatum.

V. Provinciale Concilium Romano Pontifici probatum, firmum valde argumentum Theologis praestat. Secus verò si ea probatione caruerit. Non diffitendum tamen probabile ex eo plerumque argumentum sumi ad fidei, morumque dogmata suadenda.

VI. Concilia Dioecessana, quorum fidei decreta à Romano Pontifice confirmata sint, invictum exhibent monumentum ad statuenda dogmata Religionis. Si secus accidat, probabilem quidem fidem facere possunt, certam verò non possunt.

### *DE ECCLESIA ROMANA.*

**L**ocum in primis arduum, ac difficilem à viris eruditissimis aetate nostra certatim, copiosèque illustratum adgredior, in quo Romanae Ecclesiae auctoritas continetur. Pressis itaque vestigiis Clarissimorum Theologorum, quantum auctoritatis, ac roboris illi tribuendum putem, subiectae prodent positiones.

I. Petrus Apostolus fuit à Christo institutus Pastor Ecclesiae Universalis.

II. Petrus, cum Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat errare non potuit.

III. Petro defuncto, divino iure est, qui illi succedat in eadem auctoritate.

IV. Circa auctoritatem Romani Pontificis in rebus fidei, morumque definiendis non parum dissidium est, cui exornando immane quantum eruditionis, doctrinae, laborisque aetate nostra impensum sit à Viris praestantissimis, quos erroris, aut levitatis infimulare, summae petulantiae est, ne dicam stultitiae. Ego verò tametsi adversam Gallorum opinionem gravissimis monumentis innixam arbitror, utroque tamen pollice subscribo Hispanis nostris, qui defi-

ni.

nitioem Pontificiam absque Ecclesiae consensu erroris nesciam propugnare. Unde Theologus ex illa invictum petet argumentum.

V. Romanus quoque Pontifex Concilio Oecumenico praestat, eodemque auctoritate, iurisdictione, iudicandi, definiendique potestate superior est.

VI. Pia quoque nobis opinio arridet, quae Romanae Ecclesiae sententiam de *Canonizatione Sanctorum* errori minimè obnoxiam credit. Ad fidem tamen non expectare, docemur ab Angelico nostro Doctore. Unde negantem, honore prosequendum esse, quem Ecclesia in Sanctorum Canonem retulerit, etsi non haereticum, haeresi tamen proximum, ac temerarium, iure dixerimus.

### DE SS. ECCLESIAE PATRIBUS.

I. **I**S fuit semper Ecclesiae mos, ut in rebus fidei discernendis Sanctorum Patrum, qui sanctitate, & doctrina floruerunt, sententiam investigaret. Id Lutherus vituperat factum, atque elato supercilio clamat *Evangelium, Evangelium, Christus, Christus*. Facit nae intelligendo, ut nihil intelligat. Quasi uni Luthero, non Patribus datum sit Evangelii sensum adperire. Age verò ostendamus quantum auctoritatis iudicio Virorum Sanctissimorum deferri oporteat.

II. Sanctorum auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cum ad eas facultates adfertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat: sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit.

III. Unius, aut duorum Sanctorum auctoritas, etiam in iis, quae ad Sacras Litteras, & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum verò non potest.

IV. Plurium Sanctorum auctoritas, reliquis licèt paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo praestare nequit.

V. Omnium etiam Sanctorum auctoritas in eo genere quaestionum, quae extra fidem, moresque vagantur, fi-

B

dem

dem quidem probabilem facit, certam tamen non facit.

VI. In expositione Sacrarum Scripturarum communis omnium Sanctorum Veterum intelligentia certissimo argumento Theologis erit ad fidei adsertiones roborandas. Quippe cum Sanctorum omnium sensus, Spiritus Sancti sensus ipse sit.

VII. Sancti simul omnes errare non possunt in fidei dogmate adstruendo.

### DE SCHOLAE THEOLOGIS.

Scholastica Theologia à quibusdam tenellis contemni solet, qui nihil audire, vel legere nisi expolitum, ac differtum volunt, nec quidquam inhaerere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Anile, ineptum, vulgare existimant, quidquid non tractatur oratione sententiolis vibrantibus picta. Iis quoniam vago animo sunt, & ad nihil intento, vaga placet oratio, & ut sic dicam, levibus telis, & lusoriis velitationibus pugnant: cum autem ad decretoria arma venit, id est, strictim presèque Scholasticorum more differendum est, tum palam fit illud: *Satis eloquentiae, sapientiae parùm.* Nos verò, quibus adstricta illa Scholae methodus tantopere cordi est, insistentes vestigiis Cani, quem Theologum absolutissimum Schola ad sui admirationem, honoremque tulit, Scholasticorum Theologorum auctoritatem ita vindicamus.

I. Concordi omnium Theologorum Scholae de fide, aut moribus sententiae refragari, si non haeresis, at haeresi tamen est proximum.

II. Ex auctorum omnium Scholasticorum communi sententia, in re quidem gravi usque adeò probabilia sumuntur argumenta, ut illis adversari, temerarium sit.

III. Multorum tamen testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobabit.

DE

DE RELIQUIS LOCIS THEOLOGICIS.

UT brevitati, cuius semper cupidissimus fui, deinceps consulam studiosius, utque chartae parcam, & atramento, satius visum est, reliquos Theologiae locos sub uno titulo comprehendere. Ad ius itaque quod adinet Pontificium, Nos, inquit illustris Canus (quem virum nunquam sine laude commemorabo) *Iuris Pontificii Doctorum auctoritas, quanti sit Theologo facienda, ostendemus, illo principio sumpto, Theologis, qui Pontificum Canones ignorent, nimis multa deesse ad usus Theologiae necessaria.*

Ius Pontificium

I. In his tamen, quae ad fidem pertinent, Iureconsultorum auctoritate Theologus non eget.

II. In iis etiam, quae ad mores, quatenus vel lex Evangelica, vel ratio naturalis praescribit, Iureconsultorum auctoritas parum, aut certè nihil Theologo conferre potest.

III. Cum autem de moribus Ecclesiae, & Religionis institutis per leges tantùm Pontificias, aut de poenis iure praefinitis incidat quaestio, Iurisperitorum omnium communis consensus, concordque sententia Theologo magnam fidem facere debet.

IV. Cum veritas veritati nunquam adversetur, consentiat semper, & subserviat, iure ac merito Scholae nostrae auctores nobilissimi humanas omnes scientias, tanquam ancillas, ad Theologiae ministerium advocarunt.

Naturalis ratio

V. Ex naturali ratione cum fide coniuncta saepè infirmam, saepè certam ducit Theologus probationem.

VI. Philosophorum omnium una eademque consentio certam fidem facit philosophici dogmatis.

Philosophia,

VII. Cum verò de unius, aut alterius Philosophi secta differitur, quò quisque doctior, & gravior est, eò est illius quidem, & probabilior auctoritas, & fidedignius testimonium. Sed nulli Theologus ita se-

se adiudicare debet, ut ab eo ne latum quidem unguem putet discedendum.

Ius Civile.

VIII. Argumentum, quod à iure Civili ducitur, quamvis nec certum, nec exploratum sit, probabilissimum tamen est, maximè illud, quod à legibus, Christianae Reipublicae usu probatis, Theologus accipit.

Humana Historia.

IX. Nullus Historicus, praeter Auctores Sacros, idoneus est per se ad faciendam certam in Theologia fidem.

X. Historici graves, & fidedigni, quales nonnulli sine dubio, & in ecclesiasticis, & in saecularibus fuere, probabile argumentum suppeditant Theologo, cum ad ea quae sua sunt corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones revincendas.

XI. Si omnes probati, & graves Historici in eadem rem gestam concurrant; tunc ex horum auctoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica dogmata firma ratione constituantur. Haec habui de Locis Theologicis quae disputationi obiicerem, utilia cum primis, ac Theologi cognitione dignissima, quibus proximè adiungere visum est selectas quasdam Ecclesiasticae Historiae Differtationes, vindicandis Theologiae positionibus apprimè cohaerentes, ut illis gratior ad has, expeditiorque via sterneretur. Rem ipsam adgredior.



## POSITIONES

### HISTORIAE ECCLESIASTICAE.

I. **I**Nter Oecumenica Concilia tempore, ac dignitate principem tenet locum Synodus magna Nicaena, quae Nicaeae Bithyniae Metropoles, celebrata est, Coe. Paulino, & Iuliano, anno Constantin-



stantini Imperatoris Aug. XX. Sylvestri Papae XII.

II. Quid verò adferendum de Hermia Zozomeno, qui Nicaenam Synodum sub Iulio Rom. Pont. celebratam effutiit? Non una ratione Scriptorem istum refellam.

III. Fuit autem convocandae Synodi causa triplex, videlicet: Vetus de die celebrandi Paschatis controversia: Nefarium Meletii Schisma: atque pestilentissima haeresis Arianorum.

IV. In eorum sententiam descendo, qui Synodum hanc à Constantino indictam tradidere, non tamen Pontifice Max. prorsus inscio, ut placuit Launoio, sed accedente assensu, & auctoritate Sylvestri, vel datis ad Principem Apostolicis Litteris, vel annuente Osio, tanquam Apostolicae Sedis Legato.

V. Sententiae illi firmissimè adhaereo, quae propugnat, Nicaenae Synodo Romani Pontificis nomine praefuisse Osum Cordubensem Episcopum, Vitum, atque Vincentium, Presbyteros Ecclesiae Romanae.

VI. Benè, ac sapienter Nicaeni Patres vocem *Omosion* usurparunt, ut explicandae fidei aptissimam. Ergo cavillulas, insulsaque momenta, quibus Ariani in vocem hanc impetum faciunt, explodimus, exhibilamusque.

VII. Nicaenam Synodum confirmavit Sylvester Rom. Pontifex, ac piissimus Imperator Constantinus eiusdem Concilii decreta sigillo suo communivit. Hinc tamen haud quaquam consequens fit, Conciliorum definitiones ratas non esse, nisi Principum accedat assensus.

VIII. Liberius Rom. Pontifex illustris quondam fidei Vindex, & Athanasii defensor, tandem Sirmiensi Arianorum formulae, & Athanasii damnationi subscripsit. Ergo ne Liberius in Arianorum haereticorum numero computabitur? Absit. Neque enim secundae Sirmiensi formulae subscripsit, sed primae contra Photinum editae.

IX. Ariminensis Concilii Patres Arianae haereseos labe nunquam fuere foedati.

X. Osius ille Cordubensis Episcopus Hispanae, imò Catholicae Ecclesiae lumen & ornamentum, penè confectus senio, tormentorum tandem vi Arianae impietati secundae

dae Sirmiensis formulae subscripsit. Ast ( quod Superis gratulandum ) resipuit , & in haeresi , ac impietate non obiit.

XI. Felix Romanae Ecclesiae Diaconus , in Romanam Sedem Liberii loco ab Arianis intrusus , Romanae Ecclesiae nec verus Episcopus , nec legitimus Pontifex fuit.

XII. Additio verborum illorum *Filioque* ad Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum iure facta est , nec Latini Patres propterea violati Symboli rei dici possunt.

XIII. Herodes etsi Religione Iudaeus , genere tamen fuit alienigena.

XIV. Celeberrimum Flavii Iosephi de Christo testimonium lib. XVIII. Antiq. Cap. IV. ita incaeptum : *Fuit autem hoc tempore Iesus vir sapiens &c.* ut genuinum habendum est.

XV. Lusit operam Calvinista Albertinus , dum Nestorium ab haereseos labe purgare conatus est , adpellans eum hominem levissimi ingenii , ignarum , rixosum , ac pervicacem tantum in tuendis quibusdam verbis temerè prolatis. Nestorius enim contumax haereticus fuit.

XVI. Coacta est Ephesina Synodus auctoritate Coelestini I. Rom. Pontificis in Urbe Ephesina , disponente Numine , ut in Aede Virginis , quae ibi est ad stuporem usque magnifica , qui illam *Theotocon* negabant , anathema subirent.

XVII. Sanctus Cyrillus , tanquam Coelestini Legatus , Ephesinae Synodo praefuit sub eius initium.

XVIII. Perperam à quibusdam iudicatum est , Iohannem Antiochenum dum Pseudo-Synodum cogit , dum Cyrillum , & Memnonem deponendos esse definit ; dum Cyrilli reiicit Anathematismos , in se admisisse scelus haeresis Nestorianae. Namque illum errore facti , non pravitate dogmatis favisse Nestorio , aeneis argumentis comprobabitur.

XIX. Chalcedonensem Synodum convocavit , eique S. Leo praefuit per Legatos Paschasinum Lylibaetanum , Lucencium Asculanum Episcopum , & Bonifacium Presbyterum , quibus adiunxit Iulianum Coënsensem , saltem ut consiliorum participem.

Theo-

XX. Theodoretus Cypri Episcopus, ut à labe, & suspitione haereseos se purgaret, haeresim, illiusque auctorem Nestorium in Synodo damnare, iure coactus est.

XXI. Palmaris Monothelitarum error in eo situs fuit, quod unicam Christo voluntatem, & operationem adscriberent. Non ergo audiendus Vasquezus, quem haereticos Monothelitas ab hoc errore purgare volentem non puduit, D. Thomam, caeterosque Clariss. Scholae viros, ut ignaros illius haeresis traduxisse, cum ipse in tanta rei huius ignorantia versatus sit, insigniterque adeò caespitarit, ut Decretum Constantis Imperatoris, *Typum* adpellatum, haereticum hominem effinxerit, eumque Pauli Constantinopolitani Discipulum.

XXII. Concilium Generale VI. congregatum fuit auctoritate Agathonis Papae, promovente Imperatore Constantino Pogonato. Praefuere huic Synodo Pontificis loco Theodorus, ac Georgius Presbyteri, & Iohannes Diaconus.

XXIII. Proscriptus in ea fuit Honorius Pontifex, ut haereseos fautor, non ut haereticus.

XXIV. Felix Urgelitanus Episcopus, & Elipandus Archiepiscopus Toletanus filiationem adoptivam in Christo sensu Nestoriano propugnare.

XXV. Pace quorundam Auctorum Catholicorum dixerim, sententiam illam, quae Christum hominem quavis ratione Filium Dei adoptivum contendit, dudum à Concilio Francofordiensi fuisse proscriptam.

XXVI. Miserè, diùque vexavit Ecclesiam Pelagiana haeresis. Immane quàm lubricè, & variè illius aeseclae in adserenda divina gratia versati sint! Equidem de illis ita sentio. Agnoverunt in primo haeresis suae statu habitualem gratiam, inanem tamen, quamque nullus adsereret Catholicus. In secundo actuales internas gratias amplexi sunt, revelationes scilicet, mentisque illustrationes. Nec reiecerunt eam, quam *possibilitatis* nomine adpellitant Theologi.

XXVII. Insuper quantum ex eorumdem gestis conicere fas est, opinor, vafferrimos eos fidei hostes in dogmatibus passim fluctuantes, eò tandem Catholicorum ratiociniis,

niis, Ecclesiaeque fulminibus ictos devenisse, ut operis, voluntatisque gratiam adfererent, rectae nimirum voluntatis, operationisque effectricem. Sed eam technis, subdolisque adeò interpretationibus deformarunt, ut vacua, inanisque prorsus relicta sit.

XXVIII. Quoad Semi-Pelagianos adtinet, praedicarunt ii ut necessariam ad fidei initium praevenientem gratiam, ancipitem, & reapse collatam voluntati. Inter eos verò ii saltem, qui fidei initium in unico gratiae consensu reponerent, ad actus absolutos, formatosque cooperantem gratiam admisere, quae ut oblata anteverteret omnem voluntatis consensum, sequeretur autem ut collata.

XXIX. Probabile est, Tertulianum Deum non putasse corporeum, aut saltem errorem hunc revocasse.

XXX. Iohannes XXII. in eam quidem propendit opinionem, quae Divorum, piorumque animis ad extremum usque iudicium facialem Dei visionem differri tenet. Eam tamen nusquam adseruisse, probabilius est. Addam, exploratum haberi omnino, nullibi eum controversiam hanc finiisse, & ad fidei capita revocasse.

XXXI. Prae-Adamitarum Systema tot fabellis, mendisque scatet, ut facili negotio exuffletur, atque evertatur.

XXXII. Symbolum, quod Apostolorum inscribitur, fuit ab eis traditum, non scripto, sed ore, cordibusque ac memoriae fidelium commendatum.

XXXIII. De Auctore Symboli *Quicumque* &c. acris inter eruditos exarsit controversia, aliis pro Athanasio, aliis contra pugnantis. Mihi verò satius visum est, de re dubii plenissima in utramque partem disputare.

---

## THEOLOGIAE DOGMATA.

I. **D**ivini Numinis existentia adeò naturae lumine clarescit, ut nullas ei imbelles, planèque vitreae Atheorum rationes valeant nebulas offundere, nec ulla gens usquam sit adeò extra le-

leges, moresque proiecta, ut non aliquem Deum esse, credat.

II. Deus unus est, isque non prima mundi materia, ut David Dinandus imperitè iacitat, cui errori pinguisimo affine valdè est Benedicti Spinosae deliramentum de *unica mundi substantia*, quod caput est Systematis sui, splendidissimis ineptiis confarcinati, ex quo, tanquam ex lutulenta hara tot pudenda Atheorum monstra prodire.

III. Deus hic incorporeus itidem est, materiae expers, immensus, nullis obnoxius affectionibus, aeternus, immortalis, bonorum auètor, principium, causa, finis, Rex. Supremus Dominus, omnipotens, beatus, ac tandem infinitus. Verissimae huic de attributis Dei adsertioni, Ethnicorum etiam profanam Philosophiam, si quaesieris, audies suffragantem.

IV. Mens nulla creata, quantumvis omni perfectionis genere absolutissima, valet nativis viribus, Deum clarè intueri; poterit verò superno roborata lumine.

V. Armeniis, aliisque damnatis haereticis consentit, quisquis essentiam divinam prout in se est, ab intellectu creato caelitùs illustrato, videri posse, negarit. Id verò censisse D. Chrysostrum, temerè, falsòque adserit Vasquezius, quem non puduit, venerando huic capiti inuisse foedam erroris notam, quam à perditissimis Anomaeis abolere, conatus est.

VI. Theodoretus immeritò à quibusdam in eodem tractando argumento erroris infimulatur.

VII. Neque Sanctus Hieronymus visionem Divinitatis in se credidit impossibilem.

VIII. Visiones Beatorum impares prorsus sunt, ac inaequales in intensione, & in extensione quoque. Valeat Iovinianus, cuius error meritò saepius fuit ab Ecclesia damnatus.

IX. Deus viatoris mente comprehendi non potest, quidquid audax blasphemet Eunomius.

X. Futura omnia praesciuntur à Deo, illaesa libertate. Cicero, inquit D. Augustinus, *coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus, aut esse aliquid in nostra volun-*

tate, aut esse praescientiam futurorum: quoniam utrumque arbitratur esse non posse. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, & fide pietatis utrumque confirmat.

XI. Errant qui in Deo veram, & genuinam voluntatem reperiri negant, eandemque liberrimam.

XII. Ianseniani suis cavillationibus circa voluntatem antecedentem nihil aliud praestiterunt, nisi ut fidentius teneamus, Deum voluntate antecedente omnes velle homines, nemine prorsus dempto, salvare.

XIII. Christus Dominus, ita pro omnibus hominibus preces, vitamque fudit, ut vera, ac sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro totius humani generis redemptione, & salute aeterna, etsi non eodem pacto pro reprobis id fecerit, quàm pro praedestinatiis. Qui Doctorem Angelicum erroris adversi cupiunt adfertorem, nodum in scirpo quaerunt.

XIV. Sapientissimus Provvisor est Deus rerum omnium, quarum creator est.

XV. Deus ipse, qua arcana est in homines providentia, quosdam ad supernam beatitudinem firmiter elegit; unde praecipuum ac peculiare supernaturalis providentiae munus est praediffinitio, qua ille beatam sortem cuiusque sempiternam in vita futura definivit, quaeque praedestinationis nomine adpellatur.

XVI. Accurata in primis est illius notio ab Augustino tradita: scilicet, *Praescientia, & praeparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

XVII. Praedestinationem istam, ita necessariam putamus, ut absque ea nullus salutem posset adipisci.

XVIII. Turpissimè erravit Pelagius, dum praedestinationem pensavit penès praevissa merita, sola liberi arbitrii facultate comparanda.

XIX. Fidenter fatendum est, Deum homines quosdam à gloria perpetuò relegatos velle, proindeque extare impiorum praedestinationem ad mortem, designatam reprobationis nomine.

XX. Una est Dei natura, eademque in tribus Personis,  
Pa-

Patre nempe ingenito, genito Filio homoouſion Patri, & Spiritu Sancto ab utroque procedente. En catholicam poſitionem, quam aduerſus Arii, Macedonii, Sabellii erronea tuebor dogmata, aduerſus Tritheitas, alioſque huius ſurfuris Heterodoxos, Iudaeos etiam, Mahumetiſque gregales, utriuſque Teſtamenti apertiffimis innixus teſtimoniis, & firmiffima Patrum traditione, eorum quoque, qui primis Eccleſiae temporibus florere.

XXI. Non eſt improbanda haec locutio *Spiritus Sanctus à Patre procedit per Filium*, quam Sancti Eccleſiae Patres paſſim uſurparunt,

XXII. Adeò conſentaneum fuit mitti unam ex tribus Perſonis, ut exinde humanum genus in ſe commoda ampliſſima derivarit.

XXIII. Eſſe ſubſtantias prorfus incorporeas, ſive Angelos, quiſquis neget corporeis rebus nimis addiſtus oſtenditur, atque Scripturis Sacris, rationi, humanoque experimento reluctatur.

XXIV. Explorata fides eſt, Angelos peccare potuiſſe. Id verò cognitu difficillimum, qua rimula, qua via peccatum in mentem ab errore, ignorantiiſque liberam irrepere potuerit? En nondum perquam implexum, quem extricare conabor in certamine.

XXV. Faceſſant quotquot rerum humanarum cupiditate perciti ſummam beatitatis noſtrae felicitatem in diuitiis, in honoribus, in voluptatibus, caeteriſque corporum oblectamentis conſiſtere volunt; in ſolo namque Deo, velut in omnium bonorum fonte beatitudinem noſtram obiectivam locamus.

XXVI. Regnum Chiliaſtarum, aut quale Cerinthus excogitavit libidinibus conſpurcatum, aut quale Papias honeſtius deſcripſit, fictitium valde eſt, & maximè alienum à catholica fide, quae profitetur animas Juſtorum, quibus nihil ſuperſit purgandum infirmitatis humanae, conſeſtim admitti poſt eorum mortem ad claram Dei viſionem, ſempiternamque felicitatem, à cuius poſſeſſione nunquam poterunt deturbari.

XXVII. Catholicum dogma de coeleſti beatitudine ex-

piatis fidelium animis actutum conferenda, tuiti sine dubio sunt Ecclesiae Patres nobilissimi Ambrosius, Augustinus, Bernardus. Unde non video cur istum quasi heic à veritate devium praecipiti adeo censura exceperit Durandus.

XXVIII. Gaudere hominem lapsum plenissima in suis actibus libertate indifferentiae, mordicùs adversus Calviniana molimina sustinemus.

XXIX. Homini ad merendum in natura lapsa opus est libertatis illius, quae indifferentiae dicitur; non enim muneris huic sufficiens putanda est immunitas à coactione. Ergo vividior illa delectatio, cuius illecebris capta voluntas hominis necesse est ut rapiatur, veram arbitrii libertatem funditùs labefactat.

XXX. Recentioribus Haeresiarchis consentit quisquis & Ecclesiae, & Regibus potestatem condendi leges adimit, vel ab humanis legibus solutum se iudicat.

XXXI. Legis humanae, & Ecclesiasticae, & Civilis violatio, scelus est ad forum conscientiae deferendum.

XXXII. Motus sensualitatis primoprimum, nimirum, qui omnem rationis animadversionem praeventunt, ii quoque, quos reluctanti animo patimur, quantumvis circa obiecta gravissimè turpia versentur, minimè peccata sunt, nè venialia quidem.

XXXIII. Ius positivum divinum ab his gentibus invincibiliter potest ignorari, quibus Evangelii praedicatio ignota prorsus est. Quam quidem ignorationem, itemque iuris naturae, firmiter adserimus, excussare à peccato formali operantem ex ea.

XXXIV. Labuntur turpiter qui putant, peccata omnia esse paria, atque ii quoque, qui expertes Sacrarum Litterarum, quodvis peccatum lethale esse blaterantes, peccata natura venialia de medio tollunt.

XXXV. Lethale quodvis peccatum, voluntate propria commissum, duplicem creat poenam sensus scilicet, atque damni.

XXXVI. Fide divina constat, damnatorum poenas, si-  
ve hominum, sive daemonum ex lata lege in aevum perenna-



nare: proindeque gravia peccata in terris non soluta, aeterna in inferis poena plectenda fore.

XXXVII. Deum impellere, suadere, inspirare homini peccatum, turpissima est, longèque execranda Calvinii blasphemia.

XXXVIII. Peccatum originale in Adae posteros, qui traduci negat, ipsa Christianae fidei subvertere firmamenta conatur.

XXXIX. Ergo Catholica fides fateri iubet, omnes omnino homines ab Adam feminis virtute propagatos, nisi praecipua gratia obtiterit, communi hac originis labe inquinari.

XL. Errat Baius, errat Iansenius, & quicumque doceat sine gratia sanctificante, aut sine fide, aut charitate, nullum posse fieri actum honestum in genere moris; vel quod absurdus est, infidelem in quolibet actu peccare.

XLI. Finalis perseverantia magnum in primis, singulaeque beneficium est, iustis tantum, qui servantur, à munificentissima Dei manu impertitum.

XLII. Gratia sufficiens, quam D. Augustinus vocat auxilium sine *quo*, seu gratiam possibilitatis, necessaria est naturae lapsae.

XLIII. Amplissimum finalis perseverantiae donum extra condignum hominis meritum esse, fides edocet; contra verò de augmento gratiae censendum.

XLIV. Mendaces sese produnt haeretici, dum in iustificatione impii docent, peccata non verè deleri, sed radiantum, tegi, vel in culpam non imputari.

XLV. Eadem chorda aberrant nebulones ii, qui homines iustificari existimant, vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quae in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur, effutientes gratiam qua iustificamur, Dei tantum esse favorem nihil operantem intrinsecus.

XLVI. Fides iustificando homini necessaria non est illa, qua credimus, crimina nobis deleri per Christum, sed qua veritatibus omnibus, à Deo revelatis, constanter assentimur ob Dei testimonium, falli omnino nescium.

Ne-



XLVII. Nequeunt peccatores iustificantem gratiam adipisci vel sola Novatorum futili, cassaque fide, vel ea tantum, quae, etsi vera sit, ab omni humanae voluntatis motu seiuncta est.

XLVIII. Praeceptum fidei affirmativum per se fideles omnes adstringere, notum est.

XLIX. Extat Spes Theologica à fide, & charitate distincta, qua spectamus à Deo certa cum fiducia beatitudinem, supernis auxiliis obtinendam.

L. Caritas creatum est Divinitatis donum. Proinde refutandi, qui illam dixere Spiritum Sanctum diffusum in cordibus nostris.

LI. Quantacumque iustus in hac vita charitate exuberet, maior adhuc ipsi potest fieri doni huius accessio.

LII. Charitatem viae amitti posse quis neget? Haereticus. Fatendum namque est, perire illam funditus, simul atque anima lethale scelus perpetrarit.

LIII. Primum maximumque amandi Dei praeceptum, obstringit ita viatores, ut qui fregerit, perpetuò, ni resipiscat, ab ingressu in Patriam arceatur. Saepissimè obligat in vita, quandoque per se, quandoque ex accidenti.

LIV. Divinum hoc praeceptum, nec supra nos est, nec procul positum, namque misericordis Dei auxilio impleri posse, non unico argumento monstrabimus.

LV. Illuxisse iam pridem humano generi diem optatissimum adventus Messiae, tot Prophetarum oraculis praenuntiati, palam evincunt ablatum Iudaeae sceptrum, impletaque de eo vaticinia, quibus misera Iudaicae gentis pervicacia frangitur.

LVI. Messias Prophetarum ore promissus, Iesus Nazarenus fuit, qui veram induit immaculatam carnem in Virginis utero, qui à Iudaeis cruci affixus est.

LVII. Iesum ergo Nazarenum, quem Messiam in lege promissum evicimus adversus Iudaeos, natura ac substantia Deum esse adferendum modo est adversus Nestorianos, haereticos homines, qui ipsum per gratiam dumtaxat, adoptionem, & per assistentem tanquam in templo divinitatem impiè Deum adpellaverunt. **Iccirco Virg-**  
nem

nem Mariam verè *Theotocon* esse, infrunito ore negabant.

LVIII. Nestorium cum acrius refelleret Eutyches errorem oppositum prolapsus est, & ut sibi videretur unam in Christo personam firmiùs adstruere, divinam ac humanam in unam confudit, permiscuitque naturam; meritò proinde à Synodo Chalcedonensi cum suo errore proscriptus.

LIX. Profectò sicuti Christus veram cum Patre divinitatem habet, ita veram ac nobiscum consubstantialem habet humanitatem. Quod adeò perspicuè in Sacris Scripturis relatum legitur, ut ineptire prorsus visi sint Saturninus, & Basilides, quum non veram, sed umbratilem tantùm, & fantasticam carnem Christo tribuere.

LX. Duplici perfectæ naturæ, duplex aequè respondet integra in Christo voluntas, divina scilicet, & humana.

LXI. Nec verò Christo ea tribui possent, si Verbum divinum, sicut assumpsit ex B. V. M. verum corpus, compactum ex carne & sanguine, non assumpsisset etiam veram animam, mentemque humanam, quod inficiatus est Apollinaris.

LXII. Ex his iam illud efficitur, unionem, qua Verbum naturam humanam assumpsisse dicitur, factam fuisse in persona, non in natura.

LXIII. Christus Dominus angores, veras animi aegritudines, crucis patibulum, tandemque mortem teterrimam pertulit, ut tanquam vera hostia, & sacrificium pro peccatis nostris Deo sponte immolatum, nos à peccato, Daemonisque captivitate verè redimeret: pretio nempè soluto, non praedicatione tantùm, & exemplo.

LXIV. Decuit quàm maximè, divinae iustitiae in hominibus redimendis condignam exhiberi satisfactionem.

LXV. Minimè fuit iniustum, Servatorem nostrum, in se recepisse expianda hominum peccata, ac pro eis mortem subiisse.


LXVI. Quamquam Christus Dominus humanis affectionibus verè obnoxius fuit; nihilofeciùs quàm spontè  
sus-

suscepit eas, quas accepisse, Verbi incarnati dignitatem haud quaquam dedecebat.

LXVII. Motus ii appetitivae partis, qui adversus rationem insurgunt, verguntque in vetita, à Christo Domino procul abfuere.

LXVIII. Fide certum est, Christum Dominum adorandum esse cultu latriae.

LXIX. Heic etiam debellandos cupio Iconoclastas, perditissimos Sacrarum Imaginum hostes, contra quos mordicus teneo, pium, laudisque plenum opus esse Sacrosanctis Christi, ac Divorum Iconibus meritum defferre cultum, & honorem, id quod à Maioribus nostris traditum, Ecclesiaeque institutis comprobatum accepimus. Cave putes nos exceptas heic voluisse Imagines Dei, & Angelorum, quas depingi licere secundum Ecclesiae sensum propugnamus.



## SCHOLAE PLACITA.

### DE EXISTENTIA, ESSENTIA, & *Attributis Dei.*

I. **P**ropositio *Deus est*, etsi quoad nos per se nota non sit, est verò quoad se.

II. Existentia Dei ab effectis evidenter patefit humanis mentibus, cui notitiae comparandae aptissimae sunt vividae, victricesque rationes Divi Thomae, quibus perditus Atheismus omnino profligatur.

III. Deum esse, creatura omnis tam differtè clamat, ut nemo unus, vel agrestis, ac barbarus sinatur invincibiliter ignorare.

IV. Perperam quis Dei naturam, metaphysicè expectatam, dixerit *ens à se*. Namque unicus perfectissimus intelligendi actus, per se subsistens, Dei naturam metaphy-

si-

ficam aptè prodit. En ergo Dei notionem accuratissimam:  
*Ens summè juxta atque actualissimè intelligens.*

V. Distinctio à Subtili Scoto detecta inter Dei naturam, & attributa, atque inter haec vicissim, parum Divinae simplicitati confert, proindeque confutanda est.

VI. Divina attributa à se invicem, & ab essentia distinctione tantùm virtuali differunt, eademque minima, quam consuetis vocibus *explicita*, & *implicita* significamus.

VII. Deus in spatiis, quae fingimus ultra Coelos, positivè non est, sed virtute tantùm, & potentia.

### DE DEO VIDENDO.

I. **C**arnis oculos nulla supernaturali virtute ad Deum videndum idoneos reddi posse, fatemur.

II. Neque D. Augustinus dubius fuit, an Deus corporeis oculis valeat intueri, cum id non semel in scriptis suis planissimè inficiatus sit.

III. Possibilem esse visionem Dei, nequit ratione ulla naturali evidenter ostendi.

IV. Homini puro, mortalem degenti vitam, nequit secundum statutum ordinem clara Dei visio concedi.

V. Viator homo in hac vivens carne, sed sensibus carnis non utens per absolutam Dei potestatem, rerumque praetermisso communi cursu, Divinam essentiam potest adspicere: quam quidem gloriam Mosis, Divoque Paulo fuisse concessam, libentissimè propugnamus.

VI. Utrumque speciei genus impressae videlicet, & expressae à Divina visione longissimè abest; essentia namque Divina utriusque speciei, semotis imperfectionibus, munera gerit.

VII. Beatorum mens, roborata gloriae lumine, visionem Dei elicit ut causa principalis, non ut nudum Divinitatis instrumentum.

VIII. Quòd ex Beatis alter altero Divinam naturam perfectiùs intueatur, in solam superni luminis inaequalitatem proximè refundendum, putamus.

D

Ne-

IX. Neque Divina essentia sine attributis, vel personis, neque personae sine his, neque eorundem unum sine aliis possunt, in clara Dei visione cognosci.

X. Nulla mens, ornatissima licet à Deo condita, etiam illo praeter naturae leges operante, ad veram Dei comprehensionem evehi potest. Valeat Vasquezus, qui in re hac communi adhaerere Theologorum iudicio, visus est ineptum ducere, ac putidum.

XI. Vident Beati in Verbo quaecumque in illo necessario sunt. Possibilia in eo non assequuntur omnia, alioqui Divinum Verbum comprehenderent. Secus extra illud, quin exinde aliquid derivetur incommodum.

### DE DEO SCIENTE.

I. **S**ummam Dei Scientiam ex summa ipsius immaterialitate aptissimè promit D. Thomas.

II. Quod Deus semetipse, attributa sua, resque creatas cognoscat, perfecta scientia illius est, ac nobilissimum attributum.

III. Primarium Divinae Scientiae obiectum dicimus ens increatum.

IV. Accurata imprimis est partitio apud Thomistas frequentissima Divinae Scientiae, in scientiam *simplicis*, ut aiunt, *intelligentiae*, & *visionis*.

V. Divinae Scientiae, quam ad probationis nomine significant, uti causae non dirigenti solùm, sed etiam effectrici, adscribimus rerum productionem.

VI. Quos Scientia simplicis intelligentiae effectus regit, intenditque, ad exitum refert atque efficit scientia visionis, ut sortita adprobantis munera. Res ergo non ideò noscit Deus, quod vel futurae sint, vel existant, sed ideò aut existunt, aut futurae sunt, quod à Deo noscantur.

VII. Nullum futurum sive contingens, sive liberum reperire licet, nisi Decreto Dei fore statuatur.

VIII. Futura & absoluta, & contingencia ab aeterno, non obiectiva modo, sed physica etiam in aeternitate praesentia obversantur ante oculos Dei.

Cer-

IX. Certò novit Deus futura omnia, quae casui & conditioni subsunt, quantumvis disparata. Sed illorum notitiam haud sibi comparat per essentiam suam speciei intelligibilis munera obeuntem, non per causas à se conditas, clariori licèt lumine attactas ante Decretum, non per easdem sibimet relictas, non in Decreto tandem praecognito etiam ut futuro. Undenam, inquires, profluit illiusmodi futurorum cognitio? Undenam? Ex Decreto illo apud Nostrates receptissimo, quod subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum passim audit, quodque nonnisi temerè uti nugatorium, & inutile traduceretur. Vides procul hinc exulem Scientiam Mediam.

### DE DEO VOLENTE.

I. **C**UM in Deo perfectissimus intellectus esse noscatur, voluntatem par est etiam dignosci, quae ab increata bonitate, ut à primario obiecto, unicè moveatur.

II. Fertur divina voluntas in bonitatem suam utràque necessitate specificationis, & exercitii.

III. Deus ut liberrimus sit, ac immutabilis, fat est, rerum terminations defectui obnoxias esse. Actum itaque Dei liberum adpellamus actum necessarium, habitudinem non necessariam ad obiecta prae se ferentem. Cave putes ex ea habitudine defectum quemquam in Deum derivari, sed in obiecta tantùm.

IV. Quidquid Deus vult, aut operatur, voluit statuitque ab aeterno: si quid verò in tempore denuò amaret, aut nollet, Deus ipse nutaret, ac mutaretur.

V. Consequens Dei voluntas nunquam non sortitur effectum, fecus antecedens saltem, ut aiunt, *quoad principale volitum.*

VI. Nihil est cur vereamur, antecedentem Dei voluntatem circa salutem hominum dicere veram, & genuinam.

VII. Deus ita non in communi solùm praeparat, sed in particulari etiam singulis hominibus auxilia confert proximè, vel remotè sufficientia ad salutem, secundum

uniuscuiusque indolem, & exigentiam, atque habita loci, temporisque ratione, ut si homines à salutis via pravis operibus deflectant, id in Dei voluntatem minimè referendum sit, sed in eorum sive improbitatem sive socordiam, qui auxilia à Deo praestita aut respuunt, aut abutuntur eisdem.

VIII. Efficax Divini Decreti virtus circa hominum actus liberos praesertim bonos non à versatili gratia repetenda est, sed ab omnipotentissima Dei voluntate, quae quaquaversum arbitrato suo flectit lenissimè hominum animos. Quam opinionem Scriptura Sacra tuetur, Ecclesiae tuentur & Patres.

IX. Hinc iure explodenda est calumnia illa putidissima, quam Livinus de Meyer improbo, ac petulanti consilio tutissimae Thomistarum doctrinae impegit, dum foedam ei Lutheranae, ac Calvinianae obcoenitatis notam inusit, à Sanctis Patribus alienam, à Tridentina Synodo proscriptam pronuntiavit velut ex tripode.

### *DE DEO PROVIDENTE, AC PRAEDESTINANTE.*

I. **O**Mnia rerum genera, & species, singularia etiam, abiectionissima quaeque & vilia, Divinae providentiae subduntur, eorumque numerus ab ipsa praedefinitus est ab aeternitate.

II. Causis contingentibus, & liberis ita Deus providet, ut omnes illarum actus, quovis tempore elicitos ab aevo suo praedefinierit, ac praedeterminaverit, nullo earumdem praeviso consensu.

III. Subsunt peccata Deo Provisorii, qui, quod in eis actus est, praedefinit ac efficit, quod verò pravitatis, finit dumtaxat fieri.

IV. Praedestinatio, si eo nomine intelligas firmissimum Dei consilium perducendi alios prae aliis ad salutem, non expectat praevisa merita, sed sua illa est misericordia, & munificentia in quosdam singularis.

V. In gratuito Praedestinationis decreto, spectanda prius est praedestinatio ad gloriam in se, quam ad gratiam, & merita.

Sci-



VI. Scirene aves, an numerus eorum qui salvantur ex tam multis, qui veram amplexantur fidem, sitne maior numero reprobatorum? Discito ab alio, neque enim pudet me palam arcani huius ignarum profiteri.

VII. Reprobatio negativa non mera praedestinationis negatio est, sed actus positivus, quo Deus patitur aliquos sua culpa à gloria deficere, & propter illam damnationis subire poenam.

VIII. Divina Bonitas in causa est, cur nonnulli *negative* reprobi evadant, ut alii *positive*, illorum praevissa demerita causam deprehendimus.

### DE DEO TRINO.

PLura, eaque abstrusissima, de Trinitatis arcano anxie nimis agitant rigidiores Scholae Theologi, in quibus immorari, res esset perquam putida, perquam iniucunda, maiorisque operae, quam pretii. Ego verò iustum his modum statuisse arbitror, si subiectas tantum positiones, de re quae ingenii aciem praetervolat, ineundae pugnae commiserò.

I. Sunt in Divinis processiones, quibus una Persona ab alia procedit, quarum principium *quo* proximum non est natura divina concepta ante intellectum, & voluntatem, sed facultates istae, adiunctis relationibus paternitatis, & spirationis activae.


II. Verbum divinum per intellectum procedere, per voluntatem verò Spiritum Sanctum, in causa est, ut processio illius, non huius, sit generatio.

III. Divinae relationes praeter absolutam, quam implicat naturae perfectionem, nullam aliam vi relativi conceptus, adferunt illi superadditam.

IV. In Deo secundum naturam spectato, ac relationibus praeintellecto, absoluta subsistentia extat, qua constituitur principium *quod* operandi.

V. Divinae Personae relationibus constituuntur non sub munere referentis, sed sub notione formae efficientis subiectum.

Er.



VI. Ergo non per origines, sive activas sive passivas valent constitui,

VII. Praeter subsistentiam absolutam naturae, verè sunt in Deo subsistentiae relativae, & personales.

VIII. Divinum Verbum per se, & *quarto*, ut aiunt, *modo*, non solum ex essentiae, & attributorum, sed relationum, & creaturarum possibilium cognitione procedit.

IX. Si Spiritum Sanctum fingas à solo Patre procedere, funditus evertis Trinitatis Mysterium.

### DE ANGELORUM CREATIONE.

I. **P**robabilior est eorum sententia, qui Angelos unà cum rebus corporeis in Empyreo creatos existimant. Eos verò, qui conditos antea credidere cum Graecis Patribus, vel post editum Concilium Lateranense IV. haereticos adpellare non ausim, N. Angelici Praeceptoris modestiam emulatus.

II. Corporis ac materiae ita expertes sunt omnino Angeli, ut vel tenuissima illa, subtiliorave corpora, quae Platonici autumaverunt penitus nesciant, etiamque spirituales illam materiam, quam quidam subtiliter nimis confixerunt.

III. Nec sunt, nec esse possunt plures Angeli sub eadem specie contenti, qui solo numero differant.

IV. Angeli sunt in loco, saltim connaturali, per operationem eorum virtualiter transeuntem.

V. Species, quibus Angeli utuntur ad cognoscendum, non sunt à rebus acceptae, sed à Deo in illorum creatione inditae.

VI. Futura contingentia & libera nequeunt ab Angelis naturali scientia certò praevideri, aut praenuntiari. Ergo effusa ab Idolis oracula spernenda, atque spiritus nequam hariolationes non temerè excipiendae.

VII. Probabilius est, Divique Thomae sententiae longè accommodatius, inferiorem Angelum vi propria, & naturali non comprehendere superiorem.

VIII. Angeli tempore creationis beati fuere beatitudine solum naturali.

Ne-

IX. Necessarium eis fuit iuvamen gratiae ad conversionem in Deum Auctorem supernae beatitudinis.

X. Angeli in creatione sua fuerunt gratia sanctificante praediti, eamque sicut & gloriam ita, habita donorum naturae comparatione, acceperunt, ut gloriae & gratiae ornamenta cum eorum naturalibus mirè consenserint.

XI. Peccati dedecus in se admisit Lucifer cum caeteris Apostatis Angelis, quod pulcherrimis à Deo sibi collatis naturae dotibus & ornamentis tumens, ac superbiens beatitudinem concupiverit, recusantem superna Divinae Maiestatis iura.

XII. Daemones vero, atque corporeo torquentur igne, quo veluti Divinae virtutis instrumento eorum potentiae ita alligatae sunt, ut minimè quod volunt, exequi valeant.

XIII. Ex novem Angelorum ordinibus soli Angeli quinque posteriorum ad externum ministerium legati mittuntur.

XIV. Totus hic visibilis mundus Angelorum ministerio regitur, & praeter eos, qui singulis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis praeficiuntur, adest cuilibet homini Angelus in custodiam deputatus.

### *DE FINE ULTIMO, ET BEATITUDINE HOMINIS.*

I. **A** Gere propter finem praecipua dignitas est naturae rationalis, quippe animantia bruta in finem non se ipsa movent, sed à naturae Auctore moventur.

II. Quotiescumque homo humanitùs, liberèque agit, finem sibi praestituit ultimum, saltim interpretativè, & virtualiter.

III. Beatitudinem nostram formalem si in voluntatis actu quaesieris, frustra fueris; eam etenim in solo mentis actu, clara nempe Dei visione, reperies.

IV. Visionem beatam felix, quoad exercitium etiam, sequitur amandi necessitas.

V. Firmissima adeò est Beatorum in summum bonum ad-

adhaesio, ut intrinsecus eos, & peccatorum reddat expertes, & potentiae peccandi.

VI. Iusti semel adeptam beatitudinem amittere nullo pacto possunt.

### DE ACTIBUS HUMANIS.

I. **H**umanos quoslibet actus aptè voluntarios dixeris; brutorum verò spontaneos. Persuasum mihi est, nulla vi extorqueri posse à voluntate actus, quos vocant elicitos.

II. Violentia strictè talis perimit omnino voluntarium.

III. Quae ex metu fiunt voluntaria simpliciter sunt, involuntaria secundum quid.

IV. Concupiscentia antecedens auget voluntarium absolutum, minuit perfectum, & liberum.

V. Ignorantia antecedens reddit actum prorsus involuntarium, consequens voluntarium simpliciter, concomitans verò tantum non voluntarium.

VI. Creatam libertatem in hunc modum exprimus: *Vis electiva mediorum servato ordine finis.* Desipiunt qui illam sibi fingunt quasi emancipatam, & à Deo, illius conditore, manumissam. Agit quidem illa, sed à primo Auctore, cui subest, placidè, leniterque mota. Hinc alienum esse patet à libertate arbitrii primi motoris partes illi vindicare. Doctrinam hanc, qui in Divo Thoma non videt, mero meridie vel caecutit omnino, vel lucem videre detrectat.

VII. Nativus libertatis humanae caracter est immunitas, non à coactione solùm, sed à necessitate. Unde indifferens humanum arbitrium esse postulat circa extrema saltem contradictionis.

### DE HUMANIS ACTIBUS IN ESSE MORIS.

I. **M**oralitas generatim accepta sita est in ordine transcendentali ad obiectum subditum regulis morum.

Ve-

II. Verisimilius opinantur, qui putant indifferentiam speciem veram esse moralitatis

III. Praecipua, essentialisque humani actus bonitas, & malitia ab obiecto quoad mores spectato desumitur.

IV. Actus humanus & bonitatem, & malitiam quandam à circumstantiis mutuatur.

V. Actus ex obiecto bonus, ad rectum finem imperatus, primariam ab illo bonitatem haurit, secundariam à fine.

VI. Dum pravitas operis indirectè quaeritur, opus omnino infectum est, ad assequendam verò absolutam illius bonitatem, intendi haec directè, amarique debet.

VII. Intentio bona, ex qua prava profuit electio, vitio vertenda est. Electio turpis, ab honesta licet intentione profecta, sordescit, tametsi quadantenus illius turpitudine minuatur.

VIII. Actus alioqui natura bonus, dum malus finis in causa est, ut eligatur, totus quantus est foede corrumpitur.

IX. In uno eodem humano actu binae oppositaeque moralitatis species sociari valent, dummodo altera ex fine, ex obiecto altera depromatur.

X. Extant humani actus, qui nullam ab obiecto mutantur bonitatem, sive malitiam, quosque secundum speciem indifferentes dixeris. In individuo verò huius generis actum reperies omnino nullum.

XI. Internis morum actibus nulla ab externis accessio fit primariae bonitatis, & malitiae, sed tantum accidentariae.

### DE CONSCIENTIA.

I. **C**onscientiae ad quam bona, pravaque opera iubemur exigere, haec est accurata notio: *Iudicium intellectus practici ex principiis communibus dictans aliquid hic & nunc esse faciendum ut bonum, vel fugiendum ut malum.*

II. Nefas est refragari conscientiae tum praecipienti, tum prohibenti, sive verae, sive erranti etiam vincibiliter.

III. Nedum contra conscientiam impunè errantem non agere cogimur, verum tenemur etiam, morem ei gerere, dum dictat, quidquam esse sub praecepto faciendum.

E

Cum

IV. Cum circa obiectivam actionis honestatem sese nobis offerunt adversae opiniones, haud quaquam licet amplecti minus probabilem, libertati lenocinantem, probabiliori relicta favente legi.

V. Si par verò utrique opinioni constet probabilitas, alterutra tamen sit tutior, nequit haec repudiari sine gravi piaculo.

VI. Verum enimvero, dum circa solam obiectivam actus honestatem agendum nobis est, ei opinioni adfentiri fas est, quae quamquam libertati faveat, manifestè tamen est solidè probabilior. Hinc impunè possumus opinionem adversam minus probabilem, etsi tutiorem relinquere.

### DE PECCATIS.

I. Vitiosos habitus in homine esse, qui cum virtutibus tam acquisitis, quam infusis perpetuum gerant bellum, ipso rei experimento comprobatur.

II. Vitia, peccataque omnia adversantur naturae hominum nobilissimae.

III. Peccatum à Theologis ex D. Augustino accuratissimè describitur: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.*

IV. Peccata specie differunt per obiecta specie distincta in esse moris.

V. Triplex subiectum peccati deprehenditur, ratio practica, voluntas, & appetitus sensitivus.

VI. Homines ii impune Divini iuris rudes, ignarique esse possunt, qui licèt inter fideles degant, claram tamen & absolutam Evangelii notitiam non sunt adsecuti.

VII. Adultus mentis plane compos, abditiora iuris naturae praecepta poterit inculpatè nescire.

VIII. Macula illa, qua peccantis anima foedatur, non poenae reatus est, non affectio ulla à peccato commisso extrinsecùs illata animae, non insita quaedam in bonum commutabile proclivitas.

IX. Est verò nitoris gratiae privatio, ex admissio scelere profecta, atque ipsum habitudine quadam respiciens.

Quae-

X. Quaelibet lethalis peccati poena intrinsecùs finita est: licèt poenam damni quadantenus infinitam fateamur.

XI. Peccatum mortale reatum gignit poenae perpetuò duraturae; veniale autem poenae temporalis.

XII. At si veniale mortali sociatum ante obitum non dimitti contigerit, perpetuis gehennae poenis, puniendum docet D. Thomas, cui libenter adhaereo.

XIII. Creatum, umbratileque bonum finis est hominis peccantis lethaliter, illius verò qui veniali sordescit crimine, finem agnosco privatum eiusdem bonum, inhonestè sine Dei contemptu, sine iactura gratiae concupitum.

XIV. Tuemur cum D. Thoma, puerum primum rationis, vitaeque moralis instans appulsum, teneri gravi praecepto se convertendi in Deum. Sunt qui doctrinam hanc vellicare studeant, verum his noctuis hebetior inest oculorum acies, quam ut valeant Solis fulgorem sustinere.

XV. Natura peccati originalis substantia non est animae rationalis, non concupiscentia, non morbida qualitas sibilo serpentis naturae impressa, non forma extrinsecùs orta, sed privatio gratiae originalis.

XVI. Scelus Iudaeorum, quibus auctioribus Christus cruci suffixus est, nequit adpellari peccatum naturae manans in eorundem posteros.

XVII. Parvulos, qui originali infecti labe, praematura morte abripiuntur, nec mitissima quidem poena sensus torqueri, existimo. Nullus eos excruciat dolor, tristitia nulla, quòd Divino careant aspectu. Ast delirant qui, eos modò frui, vel fruituros, credunt, beatitate quadam naturali.

XVIII. Exerito quoad possis, rationis nervos, nusquam peccatum veniale cum solo originali coniunctum reperies. Quam opinionem, qui à mente Doctoris Angelici alienam dixerit, eum necesse est, in maxima Clarif. huius Magistri ignoratione versari.

### DE LEGIBUS.

I. **L**egis nomine ordinem rationis intelligimus, ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgatum.

II. Promulgatione quadam lex indiget, ut obligare censeatur.

III. Lex Dei aeterna est ratio divinae sapientiae ab aeterno in Deo existens, cunctaque referens in bonum commune.

IV. Lex illa princeps est morum regula, à qua velut ex fonte iustae, veraeque leges omnes manant, & derivantur.

V. Iure tenebris iacet consepulta eorum opinio, qui legem naturae abrogari penitus posse, existimarunt. Non enim haec lex deleri unquam poterit; addam, nec dispensari propriè, imò cuiusvis praecepti legis naturae relaxatio ne à supremo quidem legum Conditore valet induci.

VI. Lex tam civilis, quàm ecclesiastica ut subditos liget, non requirit praefinitum promulgationis modum, sed satis est ita promulgari, ut humano modo illis queat innotescere.

VII. Imperatoriae leges non obstringunt Imperii subditos, nisi in singulis illius Provinciis promulgatae sint, neque id praestant nisi duobus mensibus ab earum promulgatione elapsis.

VIII. Probabilius arbitror, Pontificias leges ius novum statuentes, debere in singulis Provinciis, seu Dioecesibus promulgari, ni contrarium expresserit Rom. Pontifex.

IX. Humanae leges vim non accipiunt à consensu populorum, unde si aequae illae, vulgataeque sint, adstringunt subditos dissentientes, etiam & invitos.

X. Per leges ecclesiasticas neque interdicti, neque praecipari valent actus merè interni, si ab externis seiuncti illi omnino sint, contra verò dum sine externis nequeunt illi inducere aliquam speciem moralitatis.

XI. Lex humana ad grave praeceptum inducendum, & Legislatoris decretum postulat, & legis materiam esse gravem

XII. Legislatores quoad vim tantùm directivam latis à se legibus teneri, receptissimum est.

### DE DIVINA GRATIA.

I. **E**Xploratum est, Deum quaecumque fecit in gratiam mortalium (fecit autem plurima, quae neque



que capere animo possumus, neque pro dignitate explicare) ad gratiam ipsis vel parandam, vel largiendam tanquam ad caput retulisse consiliorum, ac curarum suarum omnium; cum per gratiam nos attollamur ad ineffabilem summae illius, sempiternaeque naturae participationem, & in possessionem bonorum omnium cumulo absolutissimam evehamur.

II. Itaque gratiae nomine intelligo coeleste donum supernum, & gratuitum à Deo hominibus concessum ob Christi merita ad perpetuam felicitatem sibi comparandam.

III. Gratia, quae in aliorum salutem confertur, dicitur gratis data, eiusque novem species accuratè numeravit Paulus I. ad Cor. XII. quae verò nos Deo acceptos reddit, gratia gratum faciens nominatur, & in habitualem, & actuaalem partitur. Missas nunc facio multiplices alias gratiae divisiones, quae passim apud Theologos sese offerunt, quaeque non ex subtilitate disputantium natae sunt, sed ex accurata observatione tum Scripturarum Divinarum, tum Maximorum Ecclesiae Patrum, praesertim August. qui citra aleam uberiùs, ac feliciùs prae caeteris de divina gratia differuit.

IV. Veritates quasdam naturae adsequi licet homini sine speciali gratiae iuvamine, non item omnes.

V. Honestum opus elicere quis potest, unico instructus generali auxilio Dei, quodammodo verò speciali. Ast ad Deum naturae Auctorem efficaci, quod aiunt, adfectivo amore prosequendum, singulari praesidio gratiae opus est.

VI. Nequit lapsus homo, universam servare naturae legem, ni praecipuo quodam auxilio gratiae foveatur.

VII. Mortalium nemo, quantumvis iustus, ac piissimus, diu ab omni omnino veniali crimine liber erit, nisi peculiarem valde gratiam adeptus sit, quam uni Beatissimae Virgini Mariae concessam putamus.

VIII. Corruptus homo, gravique pollutus crimine, nequit tentationes cunctas, peccataque omnia mortalia contra ius naturae diutinè sine ope praecipuae gratiae vitare.

IX. Homini iusto praeter gratiam habituaalem, virtutesque infusas, necessaria est ad singulos pietatis actus generalis Dei motio ut auctoris supernaturalis, quae tamen quandantenus adpellari potest specialis, & gratuita.

Gra-

X. Gratiam illam sufficientem dicimus, quae hominem ad operandum potentem efficit, operantem non facit. Unde relinquitur necessariam esse, sed non unicè, quippe quae alterius potentioris, vividiorisque gratiae confortio indigeat. Nihil est hic quod non redoleat doctrinam S. Thom. quodque iure impeti liceat moribus Iansenistarum.

XI. Gratia efficax donum Dei est, quo bonum, noxiis cupiditatibus fortiter compressis, alacriter operamur. Utrum intrinsecùs efficax illa sit, an secùs, iam inde ab exitu saeculi XVI. in gravem controversiam vocatum est. Quocirca nos cum ab Apostolo erudiamur felicitatem iustorum à beneplacito miserentis Dei ita venire, ut miro & ineffabili modo operetur in eis velle, & perficere pro bona voluntate, atque illos, quae sua est potentissima inclinandorum cordium potestas, flectat pro libito, sicuti haecenus ab Augustino ad Molinam Ecclesia iudicaverat universa, totis lacertis contendimus, gratiam victricem intima vi effectum sortiri suum.

XII. Necessitatem gratiae huiusmodi ex triplici capite repetimus cum Divo Thoma, ex indole potentiae divinae, ex praestantia obiecti salutaris, ex imbecillitate voluntatis humanae. Atque cum duo priora comprehendant naturam Angelicam, atque humanam innocentem, ubique gratiam illam necessariam adstruimus, à qua quidem sententia alienum non fuisse D. Augustinum nobis ipsis, quae nostra est in Magnum Parentem reverentia, iucundè blandimur.

XIII. Fieri optimè potuit, ut Deus hominem condidisset redactum ad purae naturae dotes, atque iura, obnoxium ignorantiae, concupiscentiae, morti, peccati, gratiae, ac cuiusvis superni doni omnino expertem.

### *DE GRATIA IUSTIFICANTE, ET MERITO IUSTI.*

I. **G**ratia sanctificans donum est, supra quod dici potest excellens, nos intrinsecùs ornans, & reddens participes divinae naturae.

II. Sola huiusmodi gratia forma est, qua evehimur ad adoptionem filiorum Dei praestantissimam.

Nul-

III. Nullum in creatis reperies agens, quantalibet perfectione pollens, numeres licet Christum hominem, cui veluti primariae causae physica divinae gratiae productio attribui queat.

IV. Gratia expellit ab anima peccatum, cum quo illi perpetua, atque implacabilis inimicitia est, nempe à natura profecta. Neque enim peccatum sive actuale, sive habituale potest Deus cum gratia sociare.

V. Postulat ratio meriti, ut opus ab homine, eodemque iusto, liberè peragatur, ut in obsequium tendat Dei praemia elargientis, atque ab isto ad praemium referendum addictum sit, & ordinatum.

VI. Gratiam sanctificantem nec condignè, nec verè congruenter promereri quis potest.

VII. Solus Christus condignè potuit alteri mereri primam gratiam. Vicissim id praestari sibi possunt homines de congruo tantùm.

VIII. Homo, in peccata lapsus, nunquam condignè mereri potuit veniam peccatorum, & in pristinum restitui gratiae statum. Imò nec de congruo strictè mereri potest post lapsum reparari.

### D E F I D E.

I. **A**ditum nobis adperit ad nostram felicitatem Fides, quae ab Apostolo vocatur: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non adparentium*. A Theologis definitur: *Virtus divinitus infusa, qua constanter adsentimur his, quae à Deo sunt revelata, propter summam eius auctoritatem*.

II. Deus ut veritas omnium princeps, & nobilissima obiectum est fidei formale quod, minus praecipuum eadem veritas est, sese exterius hominibus prodens, ac Divina sapientia comitata.

III. In fidei, ut aiunt, resolutione deveniendum est tandem ad summam Dei veritatem; unde in Ecclesiae testimonio non sistimus.

IV. Evidenter credibilia fiunt nostrae fidei mysteria manifestissimis argumentis.

Ve-

V. Veritatibus supernaturalibus superno modo per fidem adfentiri, nequimus, sine praesidio gratiae, pioque voluntatis motu.

VI. Propalato Evangelio, adeò necessariam explicitam SS. Trinitatis, & Incarnationis fidem putamus, ut qui ea caruerit, iustus, & salvus esse non possit.

VII. Tenemur saepè fidem exterius etiam cum vitae dispendio profiteri: quandoque tamen persecutionum procellas vitare licet.

VIII. Nefas semper est, susceptam denegare fidem vel gravissimo damno, imò morte ipsa, teterrimo malorum omnium, imminente.

IX. Nefas etiam est, ritibus idololatricis, superstitionis, aliisve, vel suapte natura, vel humana lege ad falsam religionem institutis, veram occulere, & falsam simulare.

X. Fides in peccatore vera virtus est, sed rudis atque imbecillis.

XI. Infusam fidem amittunt haeretici, qui vel uni articulo pertinaci animo reluctantur. Abest pariter à beatis, damnatisque. Manet in animabus in Purgatorio detentis.

### DE SPE.

I. **S**pes, charitate avulsa, virtus est fracta, & elumbis.

II. **S** Deum ut primum obiectum intuetur illa à beatis per visionem possidendum. Secundarium verò bona creata sunt, quae ad supernam beatitudinem conferre valent.

III. Obiectum formale quo spei Dei omnipotentiam dicimus, eamque hominibus auxilia & offerentem, & praebentem.

IV. Beatis spes omnis aufertur vel circa gloriam proprii corporis, quam spectant. Desiderium eis tantum inest circa expetitam hominum felicitatem, improprium licet, atque ex charitate manans.

V. Impius morte aeterna mulctatus, à vera spe deturbari censendus est.

VI. Retinuere eam animae in Limbo detentae, retinent & illae, quae in Purgatorio suorum scelerum poenas luunt.

VII. Manet spes Theologica in iustis viatoribus, & fide-

delibus, qui licet impiè, sceleratèque vivant, miserum desperationis crimen non admittunt.

## DE CHARITATE.

I. **C**haritas Theologica, qua Deum super omnia diligimus, & caetera propter ipsum, veram parit inter Deum & hominem amicitiam.

II. Obiectum eius formale *quo* est ipsa Dei bonitas, quae in se & propter se amari nata est, supernoque lumine cognosci.

III. Bonitas divina quamcumque pervadens Dei perfectionem constituit obiectum formale *quod* charitatis.

IV. Eadem specie charitate Deum diligimus & proximum; Deum scilicet propter se, proximum propter Deum.

V. Quolibet actu charitatis novum meritum de condigno, novumque ius sibi comparat homo ad augmentum gratiae, charitatis, & gloriae.

VI. Ceterum gratia, & charitas non statim augentur physicè ac actus remissi à iustis eliciuntur.

VII. Quando verò iustus in actum ferventiorum prorumpit, augmentum charitatis denuò acquirit actui ferventiori unicè respondens.

VIII. Praemium itaque, remissis actibus debitum, usque ad primum instans gloriae nostrae differtur.

IX. Charitas obstringit hominem, ut nedum se, sed corpus suum amore prosequatur, uti partem, cui beandae operam, industriamque omnem conferre debet.

X. Angeli sunt nobis diligendi ex charitate. Peccatores etiam quoad naturam tantum, nam quoad culpam, pertinaci odio prosequendi sunt.

XI. Charitate quoque iubemur, inimicos amore complecti, homines enim sunt. Scilicet nihil detrimenti à nobis illis nec optandum, nec derivandum. Imò praesto esse debemus, ut eorum sive spiritali, sive temporali vitae, dum opus fuerit consulamus.

XII. Idem officium erga inimicos praescriptum, servatumque agnoscimus in lege veteri.

XIII. Inimicis communia exhibenda sunt amoris testi-

F

mo-

monia, peculiaria non item, nisi id improba adfectio animi postularit.

XIV. Proximum maiori prae proprio corpore charitate prosequendum est. Addam. Fundenda vita est, si aeternae illius, salutis gravissimè periclitanti, opem ferre possimus, ipsiusque liberandae spes affulserit.

XV. In necessitate tamen gravi id solum praestare tenentur ii, quos animarum cura praecipuo iure tangi, praeter quos huiusmodi discrimen generatim ligat omninò neminem.

XVI. Homo tenetur aliquoties actiones suas referre relatione virtuali explicita in Deum finem ultimum, sive naturalem, sive supernaturalem, scilicet modo quo ipsum cognoscit, aut cognoscere potest.

XVII. Opus ab homine deliberatè elicitedum ut vitio ac pravitate careat, non postulat in Deum dirigi relatione virtuali explicita, sed implicita solùm. Apertius. Fieri non debet opus illud virtute & influxu relationis actualis in Deum, si qua praecesserit; sed fat est (modò non urgeat praeceptum amandi Dei) elici actionem honestam ex obiecto, nullaque sive finis, sive alterius cuiuslibet circumstantiae irreductitudine depravatam; ita ut operans, rationis, & legis naturalis normam secutus, sponte se illius Auctori summittat, & dum amplectitur honestatem eliciendi operis, censeatur implicitè Deum totius honestatis fontem diligere, à quo singularis illa bonitas profluxit.

### DE DEO INCARNATO.

I. **H**Ebetior est quaecumque creata mens, quam ut mirandum Incarnationis opus fieri potuisse, demonstrationis via adsequatur. Probabilia solùm argumenta suppetunt, quibus tanti operis possibilitas ostendi valeat.

II. Dei incarnatio non humanae naturae solùm, sed Deo ipsi congruentissima fuit.

III. Sapienter egit Deus, ut neque ante, neque statim post Adae lapsum, neque in mundi interitu aeternum Verbum humanam indueret naturam.

IV. Convenientius quidem fuit adsumi naturam nostram,

stram, quam Angelicam, atque ut id à Filio non à Patre, non ab Spiritu Sancto praestaretur.

V. Necessariam adeò Incarnationem agnoscimus ad peccata hominum, condigna satisfactione expianda, ut creaturam nudam neque condere, neque perficere, potuerit Deus, adhibitis etiam Omnipotentiae viribus, à qua satisfactionem, ad iustitiae leges exactam, omnibusque numeris absolutam, expectare unquam potuissemus.

VI. Decreverat Deus, humanum genus à Daemonis captivitate redimere, cui praecipuè muneri explendo Filium suum misit in mundum, unde primo Parente non peccante, Verbum Divinum humanam carnem non induisset.

VII. Ita divinae personae est alienam naturam terminare, ut id creatae ulli personae nullo pacto competere possit.

VIII. Verbum relativa subsistentia proximè, communi, & absoluta remotè humanam naturam sibi copulavit.

IX. Verbum Divinum hypostaticè etiam assumpsit naturalem sanguinem.

X. Natura Divina adinstar formae humanam Christi naturam efficit Deo gratam, sanctitatem Divino Verbo communicante.

XI. Ornata est Christi anima habituali gratia, quin haec illum Filium Dei adoptivum constituerit.

XII. Nobis persuasum est, gratiam illam divinitùs intendi, augerique potuisse.

XIII. Christus Deus homo perpetuò retinet dignitatem Capitis Ecclesiae, quae ab unionis gratia velut à radice, ab habituali velut à forma proficiscitur.

XIV. Christus idem Caput est omnium, quos sibi copulat per fidem, charitatem, & superna dona eidem annexa. Unde improbos inter illius membra computamus, inibellia licet.

XV. Innocentissimus, maximèque expetendus originalis gratiae status, à quo Protoparentes nostri miserè exciderunt, minimè à Christo, ut Capite, profluxit.

XVI. Ab eodem sublimi Capite in Angelos gratia, & gloria accidentalis manat, non essentialis.

XVII. Praeter incomparabilem Verbi sapientiam Christus

stus insuper habuit scientiam, debitam naturae assumptae. Unde humana illius mens triplici ornata est scientiae genere, beatae nimirum, infusae, & acquisitae. Iccirco iugi claroque Dei conspectu fruebatur, nec illum tamen comprehendit.

XVIII. Perspecta inde habuit praeterita, praesentia, futura cuiuslibet ordinis omnia; at non item possibilia.

XIX. Sola unionis gratia ita perfecit Christum hominem, ut eum & cuiusvis peccati reddiderit expertem, & potentiae peccandi.

XX. Humana Christi natura existentiam suam refert Divinae naturae acceptam.

XXI. Quamquam Christus Dominus vero subeundae mortis praecepto obstrictus fuit, nullique obnoxius peccato; liberrimè tamen servavit iussa Patris, ac morti occubuit.

XXII. Quam Servator noster Deo Patri pro peccatis hominum satisfactionem obtulit, nedum intrinsecus condignam tueor, sed etiam exuberantem.

XXIII. Operationes Christi fuerunt virtutis infinitae, & ad merendum, & ad compensandum.

Haec de Theologico argumento, omnium uberrimo, delibare licuit, publicisque telis obiicere, in queis quidquid à veritate devium Ecclesia deprehenderit, deleat, discerpat, comburat, levis enim iactura erit, quam feram aequo animo.

*Vt. Dr. D. Thomas Liminiana, & Azòr,  
Portionarius, & Unio. Rector.*

*Vt. Dr. D. Ioannes Vicent,  
Stud. Reg. & Rector.*

*Imprimantur.*

*Dr. D. Bernardus à Ciria, & Sola, Vic. Gen.*

*Vt. Fr. Thomas Lop, Ord. Praedic. & Theolog. Cathedr.*

*Vt. Velasco Cens. Reg.*

*Imprimantur.*

*Eulate.*





